

**DE VITA  
LIVII ANDRONICI  
DISSERTATIO.**

—  
Q U A M

**AUCTORITATE  
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS**

I N

**UNIVERSITATE LITERARUM CAESAREA  
DORPATENSI**

A D

**GRADUM MAGISTRI AA. LL. RITE IMPETRANDUM  
SCRIPTAM**

**PUBLICICE DEFENDET**

**ALEXANDER LUDOVIC. DÖLLEN.**

**CAND. PHIL., LINGUAE GERMANICAE PRÆCEPTOR  
PRIMARIUS IN GYMNASIO RIGENSI**

BIBLIOTH.  
SCABINUS  
DORPATI

---

**DORPATI LIVONORUM.**

**TYPIS J. C. SCHUENMANNI,  
TYPOGRAPHI ACADEMICI.**

**MDCCCXXXVIII.**

*Viri Doctissimo, maxime venerando Sr. Otto.*

*aucto.*

**PATRI OPTIMO**  
**CAROLO AUGUSTO DÖLLEN**

**E T**

**PATRUO DILECTISSIMO**  
**GUSTAVO FRIDERICO DÖLLEN,**  
**RERUM SACRARUM ANTISTITI ET A SACRIS REGIIS**  
**ORATORI REGIO-WUSTERHUSAE**

**HASCE STUDIORUM PRIMITIAS**

**PIO GRATOQUE ANIMO**

**D. D. D.**

*AUCTOR.*

**I M P R I M A T U R**

ea condicione, ut quinque exempla collegio libris exploran-  
dis praeposito tradantur.

**A. BUNGE**, Decanus.

Dorpati d. 25 Sextil. 1838.

∅ 63130

## Lecturis.

**L**iteratura quum totius populi ex indole, mente et ingenio neque tantum singulorum, qui de literis provehendis optime meruerint, virorum studiis nascatur, proveniat et floreat; de his ubi quaerere volumus diligentius, non debemus nobis videri satisfacisse, si de vita eorum et de scriptis quum iis, quae tulerint aetatem, tum iis, quae casu quodam interciderint, bene disputationem; sed erit etiam exponendum, quantum quisque vim habuerit ad popularium suorum mentes animosque excolendos. Hinc de Livio Andronico scripturus si in initio libelli nonnulla de Romani populi indole et de literarum apud eum primordiis disserui, eo minus mihi visus sum laterem lavare, quo magis ipsa harum rerum cognitio desideratur in ejus poetae meritis aestimandis, quem omnium antiquissimum inter Romanos extitisse constat. Tali modo satis excusatus apud eos, qui uberius et fusius, quo loco minime id liceret, de primis Romanorum in re literaria conatibus me disputasse exprobrent, graviolem fortasse praeventam vituperationem eorum, quibus haud scio an summa in re defecisse videar, quippe qui

de scriptore vetere me disputaturum professus ne verbo quidem attigerim, quae maxime in disceptationem cadant, ejus scripta. At priorem tantum hanc esse volui disquisitionum Livianarum partem, alteram, quam primum plus otii nactus ero, in lucem edere cogito. Sin autem in re tenui et dubia inconsideratius quid quam parcius dictum fuerit, communi omnium fere in scribendo tironum vitio excusatum id volo. Scripti Romae mense Sextili anni MDCCCXXXVII.

## D e vita Livii Andronici.

Armis et fortitudine diu ante Roma inclaruit, quam literis et bonis artibus; neque id magnopere mirabitur, qui originem Urbis consideraverit, mediae conditae inter tot gentes, quibuscum innumera bella novae civitati gerenda erant. Solum ante omnia expugnandum erat, in quo Musae essent habiturae, neque opes suppetebant, quibus laetum iis et tranquillum domicilium pararetur. Sic factum est, ut fere barbara etiam civitas Romana esset, cum jam Ptolemaeus Philadelphus ei de Pyrrho ex Italia expulso gratularetur. Et tantum aberat, ut Romani, qui victoriis, fere semper de hostibus reportatis, elati finium proferendorum cupidi facti erant, negotia pacis et studia literarum desiderarent, ut ea, sola excepta agricultura, quam maximi semper aestimabant, tamquam mollia et omnem fortitudinem eximentia repudiarent, atque etiam perniciose existimarent, id tantum curantes, ut boni cives, fortes milites et strenui agricolae educarentur. Sola eloquentia illo tempore erat aliquo numero et honore, quod genus literarum apud Graecos fere ultimum ad perfectionem venit; quae quidem res, quamvis videatur mira, optime expli-

cari potest ex ipsa populi Romani indole, longe alia atque ejus gentis, abs qua originem sibi duxisse Romani tam libenter profitentur. Nam civis Romanus omnem vitam suam civitati subiciebat, nec quidquam magni aestimabat, nisi quod ad civitatem amplificandam valeret. Cum hac vitae institutione conjuncta erat summa pietas, quae rursus eum cogebat, ut quantum maxime posset ad explendum, quo Romae imperium mundi praesagebatur, fatum conferret, idque non solum ad mores, sed ad literarum etiam studia, quae non ex desiderio majore animi cultu oriebantur, sed unice rebus forensibus et ad civitatem spectantibus inserviebant, plurimum valuisse, facile potest intelligi. Hinc etiam historiam et poësin, quarum tum parva admodum et tenuia erant initia, nisi Romae gloria et majorum praeclare facta iis celebrarentur, non multum apud veteres Romanos habuisse dignitatis audimus. Sed inter Romanorum virtutes erant etiam constantia, summa vitae severitas et prudentia, et licet non gauderent beata ingenii et cogitationum ubertate, tamen non omni sensu pulchri et boni destituti erant, ut tantum ipsi talia minus felici suo ingenio procreare non possent. Quae igitur ad vitae usum necessaria videbantur, facile ipsi et inveniebant et excolebant, quae vero ad vitae jucunditatem pertinebant, ea ab aliis sibi populis afferri patiebantur. Sic Graecus homo Romanam primus poësin magis excoluit, Livius Andronicus, quem primum omnes uno ore vocant poëtam Romanum. Et jure; quae enim ante eum contexta erant carmina, vix certi cujusdam auctoris haberi poterant, et maximam partem in saturas referenda sunt; itaque Andronicus in ipsis duarum aetatum confiniis est constitutus, quarum prior a doctis viris tamquam pueritia linguae Latinae et literarum designatur, altera comparatur cum humani aevi adolescentia.

Jam qualis lingua Latina fuerit ante Livium, si quis alius, J. N. Funccius docuit in tractatu de pueritia linguae Latinae, quo in libro ejus aetatis monumenta literata explicata sunt, ita ut facile inde appareat, Livium linguam admodum rudem et balbutientem accepisse poliendam et excolendam.

Non meliore loco erant literarum apud Romanos initia. Sub regibus vix ulla earum vestigia animadvertimus. Multos mores multasque institutiones praecipue in sacris adornandis Romani ab Etruscis, tum temporis multo melius excultis, assumpserant, et in Etruriam futuri augures et sacerdotes mittebantur. Tarquinii praecipue, et ipsi ex Etruria oriundi, artificibus inde accitis, quorum opera ingentia aedificia exstruenda curabant, magis Romanos sensu pulchri et venusti imbuebant. Mox etiam Graecae in Italia inferiore coloniae, in dies magis florentes, et Graecos mores Graecisque artes Italiae rudi inferentes, aliquos saltem suae lucis radios in mediam usque Italiam mittebant, quorum tamen vis illustrandi et erudiendi tum demum paulo gravius poterat persentiri, ex quo Magna Graecia et Sicilia a Romanis devictae jam erant. Inde multi viri docti Romam veniebant, qui ad studium et amorem literarum Romanos incitabant, et nominatim post Tarentum expugnatum prima vestigia paulo doctioris juventutem educandi rationis invenimus, idque maximam partem per servos bello captos, unde Horatius in epistolis II, 1, 156 ita:

„Graecia capta ferum victorem cepit et artes Intulit agresti Latio.“

Expleta demum, ut videbatur, aliquot annis post totius Italiae expugnandae cupidine, gratas Romani Musas recipiebant, qui literarum bonarumque artium amor augebatur etiam, cum quatuor et quadraginta annis post illam Tarenti expugnationem ludis

Isthmiis interesse iis liceret (primum anno a. Chr. n. 228).

Quicumque populus divinum quoddam numen esse sentit, amorem suum et metum, preces et gratias et quae sunt generis ejusdem, in quibus cernitur veneratio deorum, poëtica exprimere solet. Ejusmodi carmina, ad deorum cultum spectantia, omnibus populis fuerunt initium poësis. Sic Romanorum antiquissima poëmata erant carmina fratrum arvalium et Saliorum. In supplicationibus pueri et puellae alternis cantabant et simili modo in mensibus peragendis, in nuptiis ineundis, ut paucis dicam, in omnibus festis versus jaectabantur, Vota, preces, augurum vaticinationes, pacis condiciones, omnia haec et fortasse etiam libri fatales saltem ex parte versibus, licet admodum rudibus, compositi erant. Ut vero carminibus Saliorum non deorum solum dearumque laudes celebrabantur, sed etiam gloria Romae, nuper conditae, et heroum veterum res gestae, quibus corporis vires et fortitudinem ostenderant (axamenta), sic etiam carmina exstabant, quae tota versabantur in clarorum virorum laudibus efferendis, et in epulis decantabantur vel a convivis vel a pueris ob id ipsum accitis. Eiusdem fere argumenti erant neniae, quae tamen rei longe alii inserviebant. Sed omnia haec poëmata perquam aspera et dura saturnio numero composita erant et originem duxisse dicuntur ex Etruria vel, quod non aequè probaverim, ex Magna Graecia. Neque Romanis antiquissimis deerant carmina jocosa, inter quae referenda sunt etiam carmina militum in triumphatores. Notissimi hoc in genere sunt Fescennini, quorum faciendorum ansam praebebant illa vitae rusticae festa, quibus rustici, alternis versibus opprobria fundentes, alter alterum cantando opprimere studebant. Incondita haec carmina rure mox Romam venerunt, ibique quum plebis, ut solet, lascivia degenerassent, lege decemvirorum coër-

cebantur, ita ut postea tantum nuptiis celebrandis adhiberentur. Simili modo apud Graecos orta est ars scenica, ejus apud Romanos verum initium factum est demum anno a. Chr. n. 364, C. Sulpicio Peticio, C. Licinio Calvo Stolone cofs., quibus consulibus, cum nullo modo levare posset pestilentia, ludiones ex Etruria accessiti sunt, qui coelestem iram placarent. Hi, ut Livii verba mea faciam, sine carmine ullo, sine imitandorum carminum actu ad tibicinis modos saltantes, haud indecoros motus more Tusco dabant. Romani juvenes eos imitabantur, simul inconditos versus pronunciantes, quorum sententias motu et saltatione exprimebant; mox vero negotium hoc relictum est histriionibus et ipsa Romana juvenum fabulis Atellanis delectari coepit, quae tamen, ut fere omnia hujus aetatis poëmata, non literis ante conscriptae, sed, ut ipsa res ferebat, ex tempore factae nisi memoria non servabantur, donec Sullae demum temporibus L. Pomponius Bononiensis et Q. Novius scribere etiam Atellanas coeperunt. Ad historiae Romanae primordia praeter annales maximos, commentaris regum, libros linteos et monumenta gentilitia referri etiam possunt libri augurales et commentarii pontificum, eonsulum, censorum, praetorum aliorumque magistratum. Maximo vero his temporibus Romani excelebant eloquentia et jurisprudentia, quarum illa praesertim post reges expulsos continuus inter plebem et patricos discordiis et contentionibus alebatur, haec ex ipsa vitae communis institutione et usu orta adeo omnibus aliis studiis praeferebatur, ut soli jurisperiti appellarentur prudentes. —

Haec sunt, quae dicenda mihi videbantur de literarum apud Romanos exordiis. Sed statim post finem belli Punici primi (i. e. post annum a. Chr. n. 241) laetiora literis Romanis tempora venerunt. Nam praeter majorem, qua ex eo inde tempore Ro-

mani utebantur, cum Graecis consuetudinem primus etiam ipso post finitum illud bellum anno poeta Romanus exstitit, Livius Andronicus, quem plures mox secuti sunt poetae, alius alio praestantiores. (1) Hinc jure a Livio Andronico prima incipit literarum Romanarum aetas, quo non vetustiore nullum fuisse poetam Romanum, omnes consentiunt veteres scriptores, quorum ex multis testimoniis (2) sat erit attulisse Ciceronem in Bruto XVIII, 72. seq. Livium hist. VII, 2. Valer. Maximum II, 4, 4. et Gellium noct. Att. XVII, 21. (3) Maxime ipso hoc, quem inter poetas Li-

1) Potest facili negotio hoc demonstrari de Livio Andronico, Cn. Naevio, Q. Ennio, M. Pacuvio et L. Attio. Ut enim Naevius vincit Andronicum, ita ipse ab Ennio superatur, quae rursus in tragoediis scribendis non negabis cedere Pacuvio, ejusque aequali, quinquaginta annis minori, Attio.

2) Quae collecta exstant in Petri Scriverii collectaneis veterum tragicorum, eorumque fragmentis, ed. Lugduni Batav. 1620, et in Fr. Bothii poetis scenicis Latinorum, ed. Halberstadii 1823. 8. Tom. V. part. I. p. 1 — 6.

3) Non potest hujus rei testis advocari Quintilianus Inst. Orat. X, 2, 7, quod tamen viros doctissimos fugisse videtur, ut J. N. Funecium in tractatu de adolescentia linguae Latinae, ed. Marb. Catt. 1723, p. 61. — G. F. Müllerum in opere inscripto: „Historisch kritische Einleitung zur Kenntniss der alten lateinischen Schriftsteller I. Theil Dresd. 1747.“ p. 223. — Schöllium in brevi literarum Romanarum historia francogallice scripta (ed. Parisiis 1815) Tom. I. p. 107. s. fin. — Fr. Osannum in analectis criticis, poësis Romanorum scenicae reliquias illustrantibus, ed. Berolini 1816. p. 9. med. — Laurent. Santenium ad Terentianum Maurum (ed. Traj. ad Rhen. 1825) p. 232; — denique M. Aug. Weichertum in poetarum latinorum Hostii, Laevii, C. Licinii Calvi, C. Helvii Cinnae, C. Valgii Rufi, Domitii Marsi aliorumque vitis et carminum reliquiis editis Lipsiae anno 1830. p. 28. Lapsi sunt omnes illi viri docti, et qui alii ita laudant hunc locum. Non enim integrum Quintilianum locum attulerunt, neque ipsum Quintilianum evolvisse, sed alter alterum exscripsisse videntur; quamquam maxima videtur culpa ejus, qui primus hoc loco abusus est. Longe aliam

vius tenet, loco aetate primo factum est, ut fere nihil de ejus vita et scriptis habeamus compertum. Idem enim Romanorum poësi antiquissimae et Livio poetae evenit, quod solet plurimis rebus earumque auctoribus evenire. Dum nascuntur res et sensim proveniunt, nullus neque ipsis neque earum auctoribus habetur honor, cujus quidem negligentiae causa proxima est ipsa rerum modo nascentium natura, quarum non statim perspicitur utilitas, et quae inde concipi possit voluptas. Ubi vero ad laetam jam venerunt perfectionem, qui melius aestimare eas didicerunt, nihil minus curant, quam tenue illarum initium earumque auctores, quorum licet de perficiendis rebus non magna fuerint merita, tamen ea manet laus, quod posteris ad altiora primi aperuerunt viam. Sic Livii Andronici de poësi et literis Romanis merita neque aequales neque posteris satis agnoscebant, quorum illi memoriam scriptaque ejus posteris tradenda non magnopere curabant, hi satis jam sese ei tribuisse honoris putabant, si primam ejus opera et studio Romanae actam esse fabulam docuissent. (4) Hunc

Quintiliani l. c. esse sententiam, qui ipsum Quintilianum inspexerit, nemo non videbit. Leguntur ibi haec: „Turpe etiam illud est, contentum esse id consequi, quod imiteris. Nam rursus, quid erat futurum, si nemo plus effecisset eo, quem sequebatur? Nihil in poësis supra Livium Andronicum; nihil in Historiis supra Pontificum annales haberemus; ratibus adhuc navigaremus; non esset pictura, nisi quae lineas modo extremas umbrae, quam corpora in sole fecissent, circumscriberet.“ Manifesto Quintilianus hoc dicit: Si nemo plus effecisset, quam is, quem sequebatur, non meliorem poëtam haberemus, quam Livium Andronicum, neque historias pulchriores, quam pontificum annales.

4) Cf. Fr. Osannum in anal. crit. Is in capite primo, quod totum est de Livii Andronici vita, statim ab initio commentationis per plures paginas disserit de causis, quibus factum sit, „ut scriptoris, qui ad provehendam latinam poësin

vero honorem, quamvis minimum, nemo ei denegasse videtur, quisquis veterum scriptorum data opera egit de literarum Romanarum principiis, quod quidem facili negotio ex iisdem locis puto demonstrari posse, quibus supra usus sum testimoniis ad vindicandum suum Livio inter poetas Romanos locum tempore primum. Illi enim loci sunt etiam primarii omnino de antiquissima Romanorum poësi scenica. Hinc licet summa in re, non magni Livium aestimatum esse neque ab aequalibus neque a posteris, libenter assentiar Osanno, tamen non ausim dicere cum eo p. 2 sub fine, ubi de principibus Romanae tragoediae et comediae apud veteres sermo sit, eum a quo omne poësis latinae principium pependerit (Livium Andronicum) ne nomine quidem laudari. Saltem quos veterum scriptorum locos ad hanc sententiam probandam Osannus advocat, ii nihil ejusmodi demonstrant. Nam Cicero, cujus duos locos affert ad tragoediam spectantes, de fin. I, 2 et Academ. I, 3, 10, utroque loco non de omnibus, qui unquam exstiterint tragoediarum poëtis loquitur, sed tantum de optimarum fabularum scriptoribus. Laudat (de fin. I, 2) Ennii Medeam et Pacuvii Antiopam, quibuscum certe Livii tragoedias non poterat comparare, et eandem ob causam idem Cicero, qui duobus aliis locis (Brut. XVIII, 71 seq. et Tusc. I, 1, 3.) Livium non censuit omittendum, in Aca-

et linguam, litterasque excolendas tantam primus fero vim habuerit, reliquis et aliorum scriptorum de eo testimoniis tantopere destituti simus; ibique p. 1 — 9 optime demonstrat, causas hasce partim in literarum et artium, quae ne Ennii quidem temporibus desierit (Cic. Tusc. I, 2, 3 et 4), contempzione et in infima Livii conditione, quippe qui servus et fabularum suarum actor etiam fuerit, quaerendas esse, partim in secutorum poëtarum praestantia, qui facile ejus de arte scenica et tota poësi merita obscuraverint. —

dem. quaest. I, 3, 10 Ennio, Pacuvio, Attio, tragicis poëtis optimis quartum addere Livium, jure dubitavit. (5) Simillima est res, quod attinet ad locum ex prologo Andriae Terentianae allatum. Ibi enim Terentius Lusci Lavinii, ut vulgo putatur, maledictis publice respondens v. 18 seqq. haec dicit:

„Qui, cum hunc accusant, Naevium, Plautum,  
Ennium  
Accusant, quos hic noster auctores habet;  
Quorum aemulari exoptat negligentiam  
Potius, quam istorum obscuram diligentiam.“

quo loco quid voluerit Terentius, manifestum est. Nonne enim ineptum erat, si Livii hoc loco mentionem fecisset, ejus poëtae, qui facile ab omnibus potuerit accusari. (6) Nunc vero, qua non

5) Quo magis miror, Osannum in ephemeridibus literariis (Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft) a Dr. L. Chr. Zimmernanno editis Darmst. 1836. curs. III. fascic. 10. p. 964. non solum eundem hunc errorem repetiisse, sed etiam Isidori Orig. IX. 1. advocasse, qui locus non magis huc quadrat. Nam ibi haec leguntur: „Romana lingua est, quae post reges exactos a populo Romano coepta est, quam Naevius, Plautus, Ennius, Virgilius poëtae et ex oratoribus Graechus — effuderunt.“

6) Et accusatur Liv. Andronicus non solum ab Horatio in epist. II, 1, 69 — 75:

„Non equidem insector, delendave carmina Livi  
Esse reor, meminì quae plagosum mihi parvo  
Orbillum dictare: sed emendata videri  
Pulchraque, et exactis minimum distantia miror.  
Inter quae verbum emicuit si forte decorum, et  
Si versus paulo concinnior unus et alter,  
Injuste totum ducit venditque poema.“

ubi recte Weichertus (lib. 1. p. 27 — 37) tuetur librorum lectionem Livi contra Bentlejum, qui ex conjectura scripsit Laevi; sed etiam a Cicerone Brut. XVIII, 72, cui, praeser-

aptior alia poterat esse excusatio, optimum quemque in comoediis scribendis se sibi sumpsisse auctorem profitetur, Naevium, Plautum, Ennium, quos quidem omnes tum laudabant. Non meliore jure Osannus advocat Volcatii Sedigiti versus, quos de praecipuis Latinae comoediae auctoribus scriptos Gellius noct. Att. XV, 24 nobis servavit. Ibi sane Livii nomen non legitur, sed ex hoc loco et ex omnibus huic similibus, cum omnino nondum conveniret inter doctos viros, referendum esse Livium in comicorum numerum, nihil saltem minus apparet, quam scripsisse Livium comoedias, et omissum ibi esse, quia malas scripserit ideoque contemptus fuerit; imo multo confidentius fortasse quis talibus ex locis, praesertim si plures inventi fuerint, conjicere possit, Livium comoedias omnino nullas scripsisse. Sed haec cujusmodi sint, postea videbimus; id saltem mihi videor demonstrasse, temere illud de Livio dictum

---

tin vituperanti, talibus in rebus multo major tribuenda est fides. Nam Horatius, qui solos laudat suae aetatis vel saltem recentiores poetas, et acerrime invehitur in veterem istam et minus artificiosam scenico poëtarum et Lucilii poësin, solum hoc ob partium studium injustior saepe apparet veterum poëtarum iudex, quo opprobrio frustra eum post alios (cf. Dan. Heinsii dissert. in Horatii de Plauto et Terentio iudicium) liberare studuit Weichertus in lib. I. p. 20 — 26. Cf. Turnebum adversar. XXV, 16 et Camerarium in dissertatione de comoediis Plautinis etc. Contra Cicero, vir patriae amantissimus, quaecumque ad eam illustrandam pertinent, si modo sunt laudanda, laudat. Nihilominus is etiam I. c. Odysseam Livii appellat opus aliquod Daedali, et Livianas fabulas non satis dignas censet, quae iterum legantur. Cf. Funccium de adol. ling. lat. p. 65. init. Ceterum illud Horatii et Ciceronis de veteribus Romanorum poëtis tragicis iudicium accuratius examinavit Gustavus Regel in commentatione doctissima, quae sic inscribitur: „Diversa virorum doctorum de re tragica Romanorum iudicia sub examen vocata.“ ed. Gottingae 1834. p. 30 — 34.

easse ab Osanno. Pertinet huc locus Festi in v. Scribas, unde cognoscimus, aliquem saltem honorem Livio datum esse ab aequalibus. Nam apud Festum l. I. (p. 491 ed. Dacer.) haec leguntur: „Scribas proprio nomine antiqui et librarios et poetas vocabant; at nunc dicuntur scribae quidem (7) librarii, qui rationes publicas scribunt in tabulis. itaque, cum Livius Andronicus bello Punico secundo scripsisset carmen, quod a virginibus est cantatum, quia prosperius res publica populi Romani geri coepta est, publice attributa est in Aventino aedis Minervae, in qua liceret scribis, histrionibusque consistere ac dona ponere in honorem Livii, quia is et scribebat fabulas et agebat.“

Quoniam vero coepi de Livii apud ipsos veteres aestimatione disserere, ad hanc etiam, quam primus Osannus in anal. crit. p. 5—8 diligenter perscrutatus est, quaestionem mihi respondendum est, sintne Livii fabulae posteriore tempore denuo actae, necne. Et bene quidem Osannus ex ipsa, quae Livianarum fabularum fuisse putanda est, compositione et sermone colligi posse demonstravit (p. 5), fabulas Livii postea non repetitas esse, (8)

---

7) Pro vulgato „quidem“ Mazocchius in Tao. Heracl. p. 387 scribendum proposuit „quidam.“

8) Qua de re conferatur etiam Langius in vindiciis traegodiae Romanae ed. Lipsiae 1822 p. 6. seq. et Gust. Regel in lib. I. p. 38. Miror Weichertum (lib. I. p. 29. med.) his verbis „praesertim cum Livianas fabulas illo tempore et actas et lectione ab ipso Tullio frequentatas esse certo evinci possit.“ subjunxisse haec: „vid. Fr. Osanni Anal. Crit. p. 5. sqq.“ Videtur enim Weichertus I. c. hunc Osanni locum advocasse, ut eandem sententiam et sibi et ei probatam esse indicaret. At Osannus loco illo prorsus contrarium dicit: „Id vero, quod ne Ciceronis quidem aetate Livii fabulas adhuc actas esse diximus, si potest, aliquo argumento confirmandum est.“

sed vereor, ne quo argumento hanc sententiam studuit confirmare, id nimis labefactetur. Res enim haec est. Nonnulla aetatem tulerunt fragmenta ex Equo Trojano, quam fabulam spectatam esse a Cicerone patet ex ejus epistolis ad famil. VII, 1. (9) Quaeritur jam, utrius fabulam spectaverit Cicero, quum Nonius in v. opitula p. 475. ed. Mercker. Livium Equi Trojani auctorem dicat, Macrobius Sat. VI, 1 Naevium. Facile Osannus rem dirimit. Is enim p. 7. Ciceronem in epist. ad famil. VII, 16 vetare censet, de duabus ejusdem tituli fabulis diversorum auctorum cogitare, cumque Naevii magis consentaneum sit, quam Livii fabulas a posteris repetitas esse, a Livio omnino non scriptum esse Equum Trojanum suspicatur. Quaecunque igitur ejus fabulae exstant fragmenta, soli tribuenda censet Naevio, Liviique nomen ex illo Nonii loco migrare jubet, cui quidem rei et promptam et aptam esse excusationem, ex horum nominum creberrima confusione petitam, minime negaverim. Addit Osannus, paucis versibus post illum Nonii locum (in v. opitula) memorari Livii Odysseam (in v. fite), qua conspecta librarius eidem auctori etiam Equum Trojanum fortasse censuerit tribuendum; sed licet facilius hoc crederem, si paulo ante Livii nomen legeretur, tamen vel tum viri docti decretum mihi non probaretur. Nam locus ille Ciceronianus non omnem de duabus ejusdem tituli fabulis cogitationem excludere mihi videtur. Quidni Cicero potuerit scribere ad familiarem (epist. VII, 16.): „in Equo Trojano scis esse

9) Ibi Cicero Mario amico de ludis refert, a Pompejo alterum consule editis, eique, quod absens eos non spectaverit, gratulatur his verbis: „Quid enim delectationis habent sexcenti muli in Clytaemnestra? aut in Equo Trojano craterarum tria millia?”

in extremo, sero sapiunt“; etiamsi duae ejus tituli fabulae exstiterint, altera Livii, altera Naevii? Mihi saltem, si quid video, nihil hoc habet offensionis, modo fieri potuisse concedas, ut altera tantum earum in vulgus cognita esset, eademque Ciceronis temporibus repeteretur. (10) Demus igitur Naevii fabulam, non Livii, denuo editam esse illo tempore, et ad summum coacti erimus, hoc fragmentum: „sero sapiunt (Phryges):“ tribuere Naevio, (11) minime simul illud, quod ex Livii Equo Trojano servavit Nonius. Sed satis jam his de rebus hoc loco; erit enim nobis, ubi sigillatim de scriptis Livii Andronici disputabimus, ad hanc, quam Osannus instituit, quaestionem verbo saltem redeundum; id tantum adjiciam, nullo illorum lo-

10) Similem fere sententiam expressit Henricus Dintzerus in dissertatione inaugurali, edita Berolini anno 1835. 8, qua L. Livii Andronici (hoc enim praenomine postum nostrum appellat) fragmenta collegit et illustravit. p. 49. Stievius in libro de rei scenicae apud Romanos origine scripto p. 84. seqq. recte quidem obloquitur Osanno, qui Livio Equum Trojanum adjudicaverit; idem vero sine causa satis valida (ut bene demonstravit Gust. Regel in lib. I. p. 38. not. 30) ne Naevii quidem fabulas Ciceronis et Augusti aetate actas esse statuit, sed praeter Naevium et Livium posteriores etiam tragicos illius nominis fabulas scripsisse opinatur, quarum novissimam Cicero spectaverit. Denique Osannus in ephemer. literar. a Zimmermanno editis curs. III. fascic. 10 p. 967. seq. in sententia sua permanet, totamque illam de Livii Equo Trojano quaestionem inde pendere contendit, num Livii fabulae a Cicerone adhuc spectatae fuerint.

11) Quod sane fieri potest, quia Cicero l. c. auctoris nomen ipsi fragmento non apposuit, et quia Festus in v. sero (p. 501. ed. Dacer.) ne id quidem dixit, ex fabula aliqua sumptum esse illud: „sero sapiunt Phryges,“ quod apud Romanos abiit in proverbium. Sed quo jure sive Livio sive Naevio tribuere possimus hoc fragmentum, sane alia est quaestio, quam aptiore loco dirimendam nobis reservamus.

corum, quos Osannus ex Cicerone in fine p. 6 affert, (12) Ciceronem, id quod ille dicit, Equo Trojano in proverbium uti, et fabulam hanc tangere videri, sed omnibus illis locis loqui de ipso equo illo ligneo, qui Graecorum principibus confertus Trojae excidium parasse dicitur. Et potuit sane hac imagine uti Cicero, bene intelligentibus auditoribus, qui tamen non ex illa Livii vel Naevii tragoedia rem totam didicisse, sed potius in mentem sibi revocasse putandi sunt, quae vel pueri a matribus audierant. Notissima enim haec de equo Trojano narratio erat, et in vulgus cognita. Quae-  
ris, unde hoc tam confidenter dicere audeam? Veluti nescias, ex Troja diruta Romanos duxisse originem et quotannis, vel saltem certis quibusdam annis Marti immolatum esse equum Octobrem in memoriam Trojae, equi lignei auxilio excisae. (13)

De Livii Andronici vita et conditione, quae fuerit ante Tarentum expugnatum nihil omnino scimus, et bene Osannus in anal. crit. p. 6. hallucinari dicit eos, qui aliquid se scire profiteantur. (14) Quibus enim parentibus, quo anno et

12) H. Philipp. XIII, 32. pro Muraena XXXVII, 78. de orat. II, 22, 94. H. Verrin IV, 23, 52. Falso enim scriptum est apud Osannum „de orat. 2, 22, 49. 2 Verr. 4, 23, 77.“

13) De hac equi immolatione cf. Plut. quaest. Rom. 97., qui Decembri mensae immolatum esse equum falso narrat, nam factum id esse potius mense Octobri, vel nomen docet. Cf. Festum in v. October equus. Putabatur enim Idib. Octobr. Troja capta esse.

14) Locus hic erit, accuratius indicare eos, qui de Andronici vita scripserunt, inter quos primum habeo, quem afferam, Casp. Sagittarium Luneburgensem in commentatione „de vita et scriptis Livii Andronici, Naevii, Ennii, Caecilii Statii, Pacuvii, Attii, Attilii, Lucilii, Afranii, M. Porcii Catonis“ quae in lucem prodit Altenburgi MDCLXXII, 8., quem liberum rarissimum Osannus in anal. crit. p. 9. not. 2., ad-

qua in urbe patria natus fuerit, quas res omnes, qui vitam alicujus narraturus est, imprimis require-  
re debet, earum de Livio poeta ne minimum quidem apud veteres scriptores invenimus vestigium, quin ipsa ea, quae perpauca de posteriore ejus vitae parte a veteribus referuntur, confusa sunt omnia, neque bene inter se cohaerent.

De parentibus ejus audacissimam sane, ut ipse confitetur, Osannus p. 10 tentavit conjecturam, avum ejus fuisse suspicans Andronicum illum tragoedum, quem Demosthenis praecceptorem in arte gestus agendi fuisse, nonnulli veterum scriptorum Graecorum narrant, quorum locos idoneos Osannus l. c. adscripsit. Nimirum fluxit haec conjectura ex nominum similitudine, et inde, quod uterque Andronicus ex eodem populo oriundus erat; et fulcitur quodammodo notissima illa Graecorum consuetudine, qui pueris avorum nomina indere solebant. Neque annorum ea est ratio, quae omnem statim de opinionis hujus probabilitate cogitationem repellat, licet nimia facile alicui videatur centum et quindecim annorum differentia inter avum fortasse jam senem et inter nepotem aetate florentem. Flo-

stipulante Henrico Stieglitzio de Pacuvii Duloreste praef. p. XIII, magis magisque delitescere, neminem dicit, qui non sit, deploratum esse. Mihi invenire eum contigit una cum ejusdem Sagittarii commentatione „de vita, scriptis, editionibus, interpretibus, lectione atque imitatione Plauti, Terentii, Ciceronis“, et minime eum duxi contemnendum, quamquam majoris sine dubio momenti sunt, quae de Andronico scripserunt Lilius Gyraldus in Dialog. de poetis l. VIII. (Opp. Tom. II, p. 412. seq. edit. Jansianae) — Fr. Osannus in anal. crit. tribus prioribus capitibus; denique Henricus Düntzerus in lib. I., quem summa cura atque doctrina recensuit idem Fr. Osannus in ephemeridibus literariis a Zimmermanno editis curs. III. fascic. 10. nr. 119 — 121, unde plurimum fructum cepi in multis, quae ad Livii vitam et fragmenta pertinent, questionibus melius dirimendis

ruit enim Demosthenes circa annum a. Chr. n. 355, et Livius Andronicus 115 annis post primam Romae fabulam egisse fertur. Itaque conjectura haec elegans quidem et fortasse etiam probabilis videtur, quia nihil est, quo plane refutetur, eadem vero prorsus incerta apparet, quia, ut eam probemus, nulla est causa necessaria.

Quod ad annum natalem Livii attinet, neque eum ipsum usquam legimus indicatum, neque aliae annorum rationes inventae sunt, ex quibus de illo facere possimus conjecturam. Non magis de patria ejus urbe liquet, et quamquam recte tenere mihi videtur Osannus p. 26. opinionem, Livium Romam migrasse Tarento, (15) tamen vix inde

---

15) Dicitur enim Livius captus esse a Romanis, Tarentum expugnantibus, cujus rei solus neque is satis certus est testis Attius in aliquo, ut videtur, didascalicon libro. Nam Cic. Brut. XVIII, 72 seq., unde depromptum est totum hoc indicium, satis aperte demonstrat, mirum quantum lapsum esse Attium in anno constituendo, quo Livium Tarenti captum esse et primam fabulam egisse dixerit, unde facile quis omnem toti illi testimonio Attii denegandam esse fidem censeat. Attamen inde, quod falsos apposuit annorum numeros, non statim sequitur, in re omni lapsum esse Attium, et optime Gust. Regel lib. 1. p. 35. not. 16 monstravit, qua via in errorem inductus sit Attius, simul refellens Langium, qui in lib. 1. p. 22. not. 29. aliam erroris illius explicandi rationem tentavit. Et valde exoptatum sane nobis est hoc Attii indicium, quo erepto, ut bene Osannus p. 24 annotat, tota de Livii patria disputatio, quamquam satis jam tenebris offusa est, penitus tolleretur. Caeterum non nego, indicium illud ita esse comparatum, ut statim missum facerem, si aliud ei repugnans inventum esset. Praeterea in illo Ciceronis loco (Brut. XVIII, 72) retinendum esse Attii nomen, quod summa constantia exhibent libri, neque scribi posse Atejum (philologum), ut voluit Osannus in anal. crit. cap. IV. p. 60 — 67, adstipulante Bothio in lib. 1. p. 1. not., viderunt jam Langius (lib. 1. p. 3. not. 4), Orellius ad Ciceronis locum allatum, Gust. Regel in lib. 1. p. 35. not. 16. et Düntzerus in lib. 1. p. 4. not. 8. Cf. etiam Madvig

collegerim, natum quoque eum Tarenti fuisse, quod quidem non sine aliqua veritatis specie fieri posse dicit Osannus in anal. crit. p. 9. et in recens. libri a Düntzero editi p. 962. med., „quum eum, qui Romae non sine applausu partes in scaena agere sciverit, easdem Tarenti quoque artes antea exercuisse probabile, imo necessarium sit, eaque quidem in urbe, in qua artem scaenicam propterea ingentem civium cupiditatem spectacula frequentandi magnopere floruisse atque excultam imprimis esse constat.“ Sed claudicare hanc argumentationem, quam etiam Düntzerus lib. 1. p. 4. improbat, facile potest demonstrari. Etiam si enim Andronicum Tarenti fabulas egisse et tali modo exercitationem quandam in fabulis agendis adeptum esse ponimus, (16) num, quaeso, inde sequitur, natum quoque Tarenti eum fuisse? Quid, quod ipso hoc, quo Tarentum splendebat, literarum et artium flore adducimur ad opinionem fere contrariam concipiendam, migrasse eo Andronicum ad animum ingeniumque excolendum, ita ut, si alia in urbe, a literis non laudata, captum eum legeremus, in eadem natum etiam eum esse, multo facilius crederemus? Sed non est, quod diutius immoremur hisce enucleandis, cum praesertim vanum esset studium, si quidquam certi de patria Livii urbe erueri vellemus; unde etiam bene Osannus p. 10, quae de Tarento suspicatus sit, ea divinari tantum posse dicit, „non pro certa re venditari cum Jacobsio in

---

de didascalibus Accii. Nam clarum illum poetam tragicum constat etiam scripsisse libros didascalicon. Nihil tamen minus Osannus in conjectura sua perseverare velle videtur, ut apparet ex recens. lib. a Düntzero editi p. 958, not.

16) Quamquam ne hoc quidem ita necessarium est, ut voluit Osannus, quia placere poterant Romanis illo tempore his in rebus admodum rudibus, Livii fabulae, etiam si eandem artem alibi non antea exercuisset.

Additam. ad Sulzeri Theor. A. L. Tom. I. p. 6, quasi in explorata re argumentis supersedente afferendis.“ Id solum de Andronici origine tamquam extra omnem dubitationem positum constat, fuisse eum natione Graecum, quamquam ne hoc quidem, nisi nomen (17) ipsum doceret, aliunde cognossemus. Antequam enim egregie Osannus p. 10—18 demonstraverat, legendum esse apud Festum in v. Solitaurilia: Livius, non, quae vulgata lectio est, Ennius, praeter nominis testimonium aliud de Graeca Andronici origine nullum succurrebat. Sed ex ingeniosa Osanni emendatione, quam miror a Düntzero lib. I. p. 18. not. 40. II. prorsus neglectam esse, haec leguntur apud Festum l. c.: „Quod si a sollo, et tauris earum hostiarum ductum est nomen, antiquae consuetudinis per unum L enuntiarum non est mirum, quia nulla tunc geminabatur litera in scribendo, quam consuetudinem Livius mutavisse fertur, utpote Graecus Graeco more usus, quod illi aequae scribentes ac legentes duplicabant mutas et semivocales“; quo sane melius de Graeca Livii origine testimonium, si vera est emendatio, reperiri vix queat. Atqui haec sunt, quibus usus est vir doctus ad deserendam librorum scripturam, argumenta: quod Ennius, Rudiis, quae diu jam erant in Romanorum potestate, natus, vix possit appellari Graecus, quippe quem omnes Romanae linguae et poësis patrem praedicent; quod Ennius, ob purum latinum sermonem laudatus, Graecis moribus usus esse in scribendo putandus non sit; quod et grammaticae auctores et illius temporis inscriptiones testentur, antiquos illos tragoediae poëtas more aetatis suae literas consonantes

17) Unde Terentianus Maurus in carmine de metris p. 2425 ed. Putsch.: „Livius ille vetus Graeco cognomine“ ceterum quamquam falso ibi Livium hexametros fecisse dicit.

non geminasse; quod neque Ennius jam duplicavit literas consonantes, neque mos hic fuerit aetatis illius, ut appareat ex senatusconsulto de Bacchanalibus, Ennii temporibus (anno a. Chr. n. 186) edito, ita ut Terentii aetate primum factum id esse videatur; denique quod Andronicum, hominem Graecum, Latinae linguae ex vernacula nonnulla immiscuisse, non modo consentaneum sit, sed testimonium etiam veterum scriptorum confirmetur. Ad singulas hasce causas, ut eas redderet probabiliores, satis multa Osannus veterum scriptorum testimonia adiecit, et in fine disputationis emendatum sic Festi locum ita fere explicat: Livius literas consonantes, ex usu antiqui temporis non geminatas, primus duplicavit, idque Graecus Graeco more fecit, inter quos illo tempore diu jam pervulgatus fuit hic usus. Qui vero eum secuti sunt scriptores, utpote vulgari Latinae linguae usu imbuti, hunc Livii morem rejecerunt.

Jam vero si tenemus, Livium a Romanis, Taranto expugnato, captum et Romam adductum esse, quaeritur, quo anno id factum esse putare debeamus; neque res est difficilis. Bis enim tantum Romani Tarentum expugnarunt, primum post Pyrrhum ex Italia expulsam anno a. Chr. n. 272, L. Papirio Cursore, Spurio Carvilio Maximo coss., deinde belli Punici secundi tempore, anno a. Chr. n. 209 duce Q. Fabio Maximo, quinto consule. Et hoc quidem tempore Andronicum in Romanorum potestatem venisse, Attius narraverat, ut patet ex Ciceronis Bruto XVIII, 72 seq. Sed bene jam Cicero l. c. eum explosit, et simili modo etiam Osannus p. 44, qui in altero, quod p. 45 ad confringendam Attii sententiam attulit, argumento veterum scriptorum de Catonis vita testimonia aptissime conjunxit cum hac de Livii Romam adventu quaestione. Cum enim Cato natus sit post primam Romae fabulam ab Andronico editam,

ipseque adolescens senem viderit Livium teste Cicerone de sen. XIV, 50, porro cum Cato illi Q. Fabii Maximi in Tarentino expeditioni interfuerit, (18) hac sane occasione Livium captum putare non possumus. Hinc nostris temporibus una est doctorum virorum sententia, Romam venisse Livium anno a. Chr. n. 272, (19) quo anno prior ejus vitae pars finitur, si quidem Livio domicilii sortisque mutatio ad vitam duas in partes distribuendam satis visa est insignis, nobis nunc primum ex tenebris aliquantum dilucescit. Caeterum si constat, Andronicum demum anno tricesimo secundo, postquam Romam venerit, fabulam primam docuisse, si porro ex Ciceronis dialogo de sen. XIV, 50 et ex T. Livio (hist. XXVII, 37.) colligi potest, post fabulam hanc editam triginta etiam annos et supra Andronicum vixisse, (quas res ita se habere, suo loco docebitur), perquam probabile videtur, eum adolescentulum (20) Romam venisse. Certum, quem Livius illo tempore ege-

18) Cic. de sen. IV, 10 ibique Gernhardium. XII. 39. Plut. in vita Caton. 2. Osannus hujus rei testem male advocavit Cornelium Nepotem his verbis: „Catonem septem et decem annos natum huic Maximi expeditioni interfuisse tradidit Nepos ej. vita I.“ Id enim minime scriptum est apud Nepotem l. c., cujus haec sunt verba: „Primum stipendium meruit (Cato) annorum decem septemque: Q. Fabio Maximo, M. Claudio Marcello cons. tribunus militum in Sicilia fuit.“ Ibi neque prior periodi pars cum altera arte jungenda est, quia post „septemque“ est interpungendum, neque Cornelius loquitur de quinto Fabii consulatu et de ejus expeditione in Tarentinos, cui interfuerit Cato, sed de Q. Fabio Maximo quartum consule anno a. Chr. n. 214, quo anno Cato natus erat annos viginti.

19) Conferatur Düntzer. lib. I. p. 4. Gust. Regel lib. I. p. 35. not. 16. et Osannus in recens. lib. a. Düntz. ed. p. 938.

20) Cf. Düntzer. lib. I. p. 5. not. 10

rit, aetatis annum indicare non ausim; nihilo minus, si quis sane incertae et nimis multorum annorum spatium complectentis adolescentiae vocabulum arctioribus finibus circumscribere velit, ita ut Livium, cum a Romanis caperetur, annum aetatis vicesimum quintum nondum excessisse dicat, me habeat assentientem; alioqui enim senex plus septem et quinquaginta annorum primam fabulam docuisse putandus esset. Osannus ab altera parte adolescentiae spatium praecedendum putat, idque ob causam eandem, quam necessariam esse supra jam negavimus. Sunt enim haec ejus verba in anal. crit. p. 26: „Livium est manifestum, aut admodum adolescentem Romam venisse, quod parum veri videtur simile, quum eum, qui Romae fabulas non solum scriberet sed ipse etiam ageret, alibi jam has artes edoctum exercuisse necesse sit, quod in tanta adolescentia vix poterat fieri, aut eum aetate longe jam provectum, plus quam quinquaginta annos et supra natum Romae fabulas edidisse, id quod non sine exemplo est, si senem Roscium in scaena ad huc partes suscepisse memineris“ cet.

Romae Andronicus, quae ibi erat bello captorum sors tristissima, infima servi conditione vivebat, donec a M. Livio Salinatore ob magna sua de ejus liberorum eruditione merita libertate donatus est, teste Hieronymo in Eusebii Chronico ad Olymp. 148. „T. Livius tragoediarum scriptor clarus habetur, qui ob ingenii meritum a Livio Salinatore, cujus liberos erudiebat, libertate donatus est. (Et Livius a Livio illo appellatus)“. Sed quisnam fuerit hic Livius Salinator, ambigitur. Osannus in anal. crit. p. 18 expediri vix posse putat, utrum Andronicus a M. Liv. Salinatore libertatem nomenque adeptus sit, an a C. Liv. Macato, (21) quem Livius historiarum scriptor, num

21) De Cajo hoc vel M. Livio Macato non confundendo

Marcum recte appellet, ab ejus interpretibus dubitetur, et p. insequente demonstrat, non posse Hieronymi testimonium bene conciliari cum M. Livii Salinatoris historia, „quum hic, quem anno U. c. 566 cum M. Valer. Messala collega consulatum egisse scriptores confirment, liberis vixdum jam gavisus esse eo tempore possit, quo Andronicus ejus liberis erudiendis operam navare potuerit. Nam Nostrum (sic pergit Osannus p. 20) parum simile est veri fabulas publice docuisse, antequam libertate donatus esset; atqui hanc gratiam tum demum, quum de illius liberorum eruditione meritis esset, ab hero impetravit.“ In ultimo hoc me habet assentientem (22); at minime putaverim, dictum esse ab Hieronymo l. c. Livium Salinatorem consulem anni U. c. 566 sive a. Chr. n. 188, quem falso Osannus Marcum appellat, quum apud Livium hist. XXXVIII, 35 legatur: „Creavit (M. Fulv. Nobilior consul) consules L. Valerium Messalam et C. Livium Salinatorem.“ (23) Equidem herum Andronici fuisse suspicor M. Livium eum, cui primo Salinatori cognomen evenisse ob novum, quod censor anno a. Chr. n. 204 salis imposuerit vectigal, Livius narrat hist. XXIX, 37. Marcus hic Livius Salinator pater erat Caji illius,

cum M. Livio Salinatore vide Wesselingium in observat. II, 5. Cf. etiam Liv. hist. XXVII, 34 et Osann. in recens. lib. a Düntz. ed. p. 959, in fine.

22) Adstipulatur etiam Düntzerus lib. I. p. 3 et 5.

23) De Livio Salinatore praeter locum exscriptum juvat conferre Liv. hist. XXXV, 24. XXXVI, 2 et 42—45. XXXVII, 9. 12. 14. 16. et 25. Eundem C. Livium Salinatorem Andronici herum fuisse, Funccius dicit de adolesc. ling. lat. p. 61. not. z. ubi haec leguntur: „ille (Liv. Salinator) diversis temporibus praetor, consul, pontifex in historia Romana haud innobilis. Liv. Patavin. XXV, 14 (quod falso indicatum corrigendum est in XXXV, 24, quo loco praetorem eum creatum esse Liv. Patavin. narrat) XXXVIII, 35. XLIII, 11. et passim.“

de quo loquitur Osannus, et primum consul una cum L. Aemilio Paulo anno a. Chr. n. 219. Uterque consul adversus Illyrios missus feliciter res gessit et ex bello hoc triumphavit, quamquam sunt, qui Salinatoris nomine omisso solum Aemilium triumphasse scribant, quod quidem ob majorem Aemilii hoc in bello gloriam factum esse videtur. Consules brevi postquam magistratu sese abdicaverant, ob praedam suppressam in jus vocati sunt, et Aemilius aegre liberatus est; Salinator vero, ab omnibus fere tribubus damnatus, gravissime id ferebat, ita ut rus migraret et plures per annos urbe omnique hominum coetu sponte careret (24), (Liv. hist. XXVII, 34) donec tandem anno a. Chr. n. 207 fere invitus iterum factus est consul una cum C. Claudio Nerone, quicum pristinae eaeque gravissimae inimicitiae ei intercedebant. (Liv. hist. XXVII, 34 seq.) Hoc anno egregiam de Hasdrubale ad Senam (25) reportavit victoriam (Liv. hist. XXVII, 40 et 46—49), ita ut triumpho

---

24) Hinc, quum de M. Livio, apud Livium hist. XXI, 18. commemorato, ab interpretibus ambigatur inter M. Livium Salinatorem et M. Liv. Macatum, non putaverim, Salinatorem nostrum fuisse unum ex legatis, anno a. Chr. n. 218 ad Carthaginienses missis, qui bellum iis indicerent, sed intelligendum potius esse M. Livium Macatum, Salinatoris cognatum. Nam, teste Livio hist. XXVII, 34. M. Liv. Salinator in urbem reductus est a M. Claudio Marcello et M. Valer. Laevino coss. (i. e. anno a. Chr. n. 210) octavo ferme post damnationem anno, itaque illius legationis tempore jam erat damnatus.

25) Salinatorem hunc, qui Senense proelium commisit, quodammodo cum Liv. Andronico conjunctum fuisse, colligi potest ex Attii testimonio apud Cic. Brut. XVIII, 72 seq., ubi Livius primam fabulam docuisse dicitur ludis Juventatis, quos Salinator Senensi proelio voverat; quamquam vera, ut videtur, annorum ratio non conspirat cum Attii indicio. Cf. Osann. in recens. lib. a Düntz. ed. p. 960.

honor iterum ei concederetur. (Liv. hist. XXVIII, 9.) In fine ejusdem anni dictator est dictus, ut comitia consularia haberet, (Livius hist. XXVIII, 10) et insequente anno proconsul variis rebus praeclare gestis excelluit (Liv. hist. XXIX, 5 et 13); denique anno a. Chr. n. 204 censoris munere functus est una cum eodem C. Claudio Nerone, quem iterum consul habuerat collegam. (Liv. hist. XXIX, 37. XXXVI, 36. XXXIX, 3.) Ultima igitur, quam de M. Livio Salinatore habemus, anni nota est a. Chr. n. quarti et ducentissimi sive U. c. quinquagesimi et quingentesimi. Jam si stat sententia, Andronicum Romam venisse anno a. Chr. n. 272 eodemque statim anno erudiendis M. Livii Salinatoris liberis operam dedisse, hoc sane ne cum hujus quidem Livii historia probabiliter potest conciliari. Vix enim credibile est, hoc tempore jam liberis gavisum esse M. Livium Salinatorem, nisi forte anno a. Chr. u. 219 primum consulatum egisse fere octoginta annorum senex et quindecim annis post censorem sese exhibuisse satis severum, ut ex Livio hist. XXIX, 37 apparet, putandus est, quae quidem ratio efficitur, si anno a. Chr. n. 272 septem tantum et viginti annos natum eum fuisse ponimus. Tantum vero abest, ut ab omni parte verum sit, Andronicum, ut supra posuimus, statim postquam Romam venerit, paedagogi munere apud Salinatoris liberos functum esse, ut ne simile quidem veri hoc videatur. (26) Andronicum enim fabulam primam docuisse anno a. Chr. u. 240, postea demonstrabimus, et paulo ante hoc tempus manumissum esse, quominus credamus, nihil saltem obstat, ita ut circiter triginta annos servisse putandus sit. Hinc

---

26) Solebant Romani liberos suos servis senioribus et spectatae jam fidei committere.

per triginta annos integros unius heri liberos Andronicum erudiisse, non consentaneum esse putanti mihi haec informata est cogitatio. Andronicum in fine servitutis aliquot per annos erudiisse liberos Salinatoris, et haec ob merita libertate donatum esse. Cui quidem opinioni minime repugnare invenies Hieronymi testimonium, si iterum perlegeris; (27) imo vero omnia, assumpto hoc calculo, bene quadrare facile concedes. Ponamus enim, M. Livium Salinatorem, qui paulo ante primam Romae ab Andronico editam fabulam hunc de filiorum, quos Graecis, ut Osannus opinatur, literis instituerit, eruditione bene meritum manumiserit, natum fuisse circiter annos triginta, (28) et habebimus eum primum consulem duorum fere et quinquaginta annorum; quod inauditum non est, cum aetas consula-

---

27) Nihil enim scimus ea de re, servieritne Andronicus soli, cui debuit libertatem, M. Livio Salinatori, an aliis etiam ante hunc herum, neque quo tempore liberos Salinatoris erudire coepit, ullum indicium repertum est. Quidni igitur statuere possimus, Andronicum hereditate a patre vel alio quovis modo ab alio venisse in possessionem M. Livii Salinatoris? Et quamquam Osannus in recens. lib. a Düntz. ed. p. 959. init. ex Hieronymi verbis l. l. hoc tantum sequi dicit, Andronicum ab Salinatore manumissum esse ob ingenii meritum, qui fortasse jam ante eum annum, quo publice primam Romae fabulam egerit, domi inter amicos ingenii poetici specimina ediderit, minime simul id, quod omnes hucusque, quotquot de Andronico scripserunt, interque eos ipse Osannus in aal. crit. p. 20, inde patere existimarunt, libertatem tum demum Andronicum ab hero impetrasse, quum de illius liberorum eruditione bene meritus esset; tamen ex omni verborum, quae apud Hieronymum l. l. leguntur, nexu, et praecipue ex imperfecto „erudiebat“ optime hoc elici posse videtur, ipso illo, quo libertate donatus sit, tempore Andronicum Salinatoris liberos instituisse, quae res, si vera est, totam nostram de Salinatore et Andronico opinionem egregie confirmat.

28) Cf. Osannum in recens. lib. a Düntz. ed. p. 959.

ris sumpta hac Salinatoris primum consulis aetate novem tantum annis minor sit. Caeterum quam multis iisque parum certis condicionibus nitatur tota haec argumentatio, nemo non videt, neque omnia haec tamquam prorsus certa et explorata pronuntiare ausim, quamquam non abesse puto aliquam saltem veritatis speciem. (29) Id saltem mihi videor evicisse, non abjiciendum esse illud Hieronymi testimonium, licet is lapsus sit in annorum ratione, ut mox apparebit.

Pertinet huc Suetonii testimonium in libro de illustribus grammaticis cap. 1, ubi haec leguntur: „Grammatica Romae ne in usu quidem olim, nedum in honore ullo erat: rudi scilicet ac bellicosa etiamtum civitate, necdum magnopere liberalibus disciplinis vacante. Initium quoque ejus mediocre exstitit: si quidem antiquissimi doctorum, qui iidem et poëtae, et oratores semigraeci erant, (Livium et Ennium dico: quos utraque lingua domi torisque docuisse adnotum est) nihil amplius, quam Graeca interpretabantur: ac, si quid latine ipsi composuissent, praelegebant. Nam quod nonnulli tradunt, duos libros, de literis syllabisque, item de metris, ab eodem Ennio editos, jure arguit L. Cotta, non poëtae sed posterioris Ennii esse: cujus etiam de augurandi disciplina volumina feruntur.“ Jure Osanno

29) Livium Andronicum manumissum esse ab eodem hoc M. Livio Salinatore, quem illius herum fuisse ego suspicatus sum, uberius demonstrat Osannus in recens. lib. a Düntz. ed. p. 958 — 962, jure reprehendens Düntzerum, qui hanc de hero Andronici quaestionem, vel maxime necessariam ad verum poëtae praenomen expediendum, plane neglexerit. Düntzerus enim nil nisi Lucii cujusdam Livii servum fuisse poëtam nostrum (lib. 1. p. 3 et 5), Salinatorem autem inter eos fuisse opinatur juvenes (lib. 1. p. 16), qui discendi causa ad Livium Andronicum confluerint, unde factum sit, ut grato animo postea eum persecutus sit.

nus in anal. crit. p. 27, eos explosit, qui verba: „quos utraque lingua domi forisque docuisse adnotum est:“ referenda censuerunt ad fabularum actionem privatam et publicam, cui sententiae addictus erat etiam Planckius ad Ennii Medeam p. 30. Neque tamen ipsi Osanno assentior, cui Suetonius his verbis docere voluisse videtur, Romae Livium artis grammaticae magistrum sese professum esse; quod si legeretur apud Suetonium, sane efficeret, ut cum Osanno plane falsum esse hoc indicium censerem, quia publica hujus literarum disciplinae professio non Livii est, sed multo recentioris aevi. Sed videtur mihi nihil amplius dixisse Suetonius, nisi: Livium et Ennium in praecipiendo utraque lingua et Graeca et Latina usos esse, eorumque praecepta fuisse partim Graecorum scriptorum interpretationes, partim eorum, quae ipsi latine composuerant, praelectiones; id vero appellari posse mediocre, quod apud Romanos factum sit, artis grammaticae initium. (30). Et Graecam quidem linguam, quin domi forisque docuerint Livius et Ennius, non est, quod dubitemus; ipsum autem Suetonium hoc loco lapsum esse, eo minus veri simile videtur, quo diligentius rem narratam ab eo consideratam et pensatam esse vel inde cognoscimus, quod in fine capitis movet de Ennio poëta non confundendo cum ejusdem nominis grammatico.

Mos erat servorum, in manumissione dominorum nomina praenominaque assumere, iisque cognominis loco suum nomen adjicere. Sic Tironem, M. Tullii Ciceronis libertum, scimus dictum esse M. Tullium Tironem, et apud Ciceronem epist. ad Attic.

30) Cf. Düntzerum in lib. 1. p. 12. seq. et Osannum in recens. ejus libri p. 964.

IV, 15. init. legimus, Eutyclidem, a. F. Caecilio Attico libertate donatum, assumpsisse heri sui et nomen et praenomen. Interdum tamen sola dominorum aut nomina aut praenomina libertis indita fuisse, primus docuit Osannus in anal. crit. p. 22 et 23, nonnullis ad sententiam suam probandam allatis exemplis, ut Publii Syri, Titi Phaedri, (31) aliorum. De Andronico autem parum constat, fueritne ei, M. Livii Salinatoris liberto, pristini sui heri nomen solum (32) an praenomen quoque impositum. Qui enim Titum eum et qui Lucium (33) appellant, minime audiendi sunt, licet his prae-

31) Miror Osannum p. 23 scripsisse: „Adde Syrum mimorum scriptorem, adde Phaedrum, utrumque libertum uno Publii praenomine appellatum.“ Quoscumque enim libros inspexi, aut nullum omnino, aut Titi praenomen Phaedro fuisse inveni.

32) De nomine heri Andronico imposito dubitari non licet, unde corrigendus est locus apud Nonium in v. utres p. 231. Merc., ubi legitur „Lucilius Andronicus“ pro „Livius Andronicus.“

33) Atque Lucium eum appellatum fuisse, complures viri docti scripserunt, ut Marūn, Anton. Delrius in syntagmate tragoediae Latinae ed. Antwerp. 1593. Tom. I. p. 26 et 93. — Petrus Scriverius in lib. I. p. 1. — Gerh. Joh. Vossius de historic. latin. III, 12, p. 827. — J. N. Funccius in tractatu de adol. ling. lat. p. 59. — Forcellinius in v. Andronicus. — Köpkius in dissertatione de dramate Romanorum ante Germanicam suam Plauti interpretationem Tom. I. p. XLVIII. — et nuperrime Düntzerus in lib. I. p. 1. seq., qui adeo inde concludit p. 3, Lucii cujusdam Livii libertum poetam nostrum fuisse. At vice versa, totam quaestionem de praenomine Andronici, qui sine dubio in manumissione latina nomina accepit, non pendere nisi ex praenomine ejus, qui eum manuserit, bene monet Osannus in recens. lib. a Düntzero ed. p. 957. Itaque mirandum non est, hac etiam in re lapsum esse Düntzerum, quum, ut supra vidimus, plane neglexerit investigare, quisnam fuerit herus Andronici. Praeterea qui Cajum poetam nostrum appellaverit, unum invenio, nescio quo errore captum, Glandorpium in onomast. Rom. p. 546.

iverint Gellius duobus locis, noct. Att. VII, 7: „Ad primum autem longe primum L. Livius in Odyssea dicit.“ et XVII, 21: „Coss. Claudio Centone, Appii Caeci filio, et M. Sempronio Tuditano, primus omnium L. Livius poeta fabulas docere Romae coepit.“ — Festus in v. surregit p. 551. Dacer.: „Surregit et sortus antiqui ponebant pro surrexit et ejus participio, quasi sit surrectus, quibus L. Livillus (34) frequenter usus est.“ — et Cassiodorus in Chron. Tom. I. p. 357. col. 4. ed. Garet.: „C. Mamilio et Q. Valerio. His Consulibus ludis Romanis primum tragoedia et comoedia a L. Livio ad scenam data.“ — illis Hieronymus in Eusebii Chron. ad Olymp. 148, cujus verba huc spectantia supra exscripsi, quamquam vel ibi in nova editione Veronensi (Tom. VIII. p. 563.) pro „Titus Livius“ legi „L. Livius“, Düntzerus in lib. I. p. 16. not. 36. Mazzuchium referre dicit. Equidem facio cum Osanno, qui in anal. crit. p. 20 et 21 Titi nomen fluxisse suspicatur ex nomine Titi Livii Patavini, Lucii notam vero ortam esse ex sequente littera L. in Livio, ita ut aut nullum omnino aut Marci praenomen Livio Andronico tribuendum sit. Iosephus Scaliger ad Hieronymi locum allatum commissum ab eo esse dicit *μνημονικὸν σφάλμα*, et praenomen Livii fuisse Marcum non Titum; (35) attamen donec

34) Significari hoc loco Livium Andronicum, aperte docent verba Pauli Diaconi. Vide etiam interpretes ad hunc locum.

35) Non ille quidem consentiens cum iis, quae ad Festum in v. ommentans p. 305 Dacer. (Castig. in Festum. p. 112) annotavit; sed si id maxime quaeritur, quae tandem Scaligeri fuerit sententia de praenomine Livii, plus tribuendum videtur illi ad Hieronymi locum, quam huic ad Festum annotationi, quum ibi discrete praecipiat, Livio fuisse praeno-

reperitum fuerit hac de re vel unum veteris alienius scriptoris testimonium, assentiar Osanno, qui Andronicum statuit cum heri nomine praenomen non accepisse. Nusquam enim apud veteres scriptores legitur M. Livius Andronicus, sed videtur hoc commentum esse a recentioribus criticis, qui quum invenissent Lucii vel Titi praenomen Livio inditum, haud scio an falsum hoc esse intelligentes, simul vero dandum ei esse praenomen putantes, Marcum eum appellaverint a M. Livio Salinatore.

Jam nobis respondendum est ad quaestionem multo difficiliorem, quo anno Livius primam Romae fabulam docuerit. Hac enim in re ipsos veteres scriptores non consensisse, apparet ex Ciceronis Bruto XVIII, 72. seq., ubi haec leguntur: „Atque hic Livius, qui primus fabulam, C. Clodio Caeci filio, et M. Tuditano consulibus, docuit, anno ipso, antequam natus est Ennius; post Romam conditam autem quartodecimo et quingentesimo, ut hic ait, quem nos sequimur. Est enim inter scriptores de numero annorum controversia. Attius autem a Q. Maximo quintum consule captum Tarento scripsit Livium, annis XXX, postquam eum fabulam docuisse et Atticus scribit, et nos in antiquis commentariis invenimus. Docuisse autem fabulam annis post XI C. Cornelio, Q. Minucio consulibus, ludis Juventatis, quos Salinator Senensi proelio voverat. In quo tantus error Attii fuit, ut his consulibus, XL (36) annos na-

men Marco, hic obiter tantum Odysseae Latinae poetam his verbis indicet: „Verba ex Odyssea veteri Lucii Livii Andronici ita legenda: in Pylum adveniens, aut ibi ommittens“ etc. Itaque falso Düntzerus in lib. 1. p. 2. Scatigerum retulit inter eos, qui Livio Lucii praenomen tribuant.

36) Inno XLII annos natus fuit his consulibus Ennius,

tus Ennius fuerit: cui cum aequalis fuerit Livius, minor fuit aliquanto is, qui primus fabulam dedit, quam ii, qui multas docuerant ante hos consules et Plautus et Naevius.“ Eundem fere annum duobus aliis locis indicat Cicero, Tusc. I, 1, 3: „Serius poetam nos accepimus: annis enim fere DX (37) post Romam conditam Livius fabulam dedit, C. Claudio, Caeci filio, M. Tuditano

quia inter consulatum C. Mamilii Turrini, Q. Valerii Faltonis (anno U. c. 515), quibus consulibus natum esse Ennium testatur Gellius noct. Att. XVII, 21, 43. his verbis: „Claudium et Tuditanum consules sequuntur Q. Valerius et C. Mamilius: quibus natum esse Q. Ennium poetam, M. Varro in primo de poetis libro scripsit.“ et inter C. Cornelium Cethegum, Q. Minucium Rufum, consules anni U. c. 557, XLI anni integri intersunt. Nihil tamen minus jure Cicero hoc loco dedit XL, nam ex ratione Attii Cornelius et Minucius consules fuerunt anno quadragesimo primo post eum annum, quo Livium Romae fabulam docuisse Cicero dicit, itaque Ennius, ipso post primam Romae editam fabulam anno natus, ex Attii ratione illis consulibus gessit aetatis annum quadragesimum. Et quo loco Attius vitium commiserit, non difficile est invenire. Constat enim ex fastis Consularibus, Q. Fabium Maximum expugnasse Tarentum anno U. c. 545, non ut Attius scripsisse putandus est, anno U. c. 544, et C. Cornelium Cethegum cum Q. Minucio Rufo egisse consulatum anno U. c. 557 non 555, qui annus ex Attii calculo invenitur. Hinc nescio, quomodo Osannus p. 43 dicere potuerit, ex Attii ratione Livium primam fabulam edidisse anno U. c. 556. Non enim annis constat, undecim illos annos adnumerare debemus, sed anno U. c. 544, quem capti Tarenti annum ab Attio indicatum esse, ex Ciceronis verbis apparet.

37) In libris est CCCCX, sed scribebendum est haud dubie DX. Cf. Osannum p. 50. De numero hoc minus accurate indicato cf. Osannum p. 40. De verbis „qui fuit major natu, quam Plautus et Naevius“ ad Livium, non cum Davasio ad Ennium referendis, recte jam monuerunt Vossius de historicis latinis p. 7. et Sagittarius in lib. 1. p. 3. Cf. etiam hac de re Osannum p. 43.

consulibus, anno ante natum Ennium: qui fuit major natu, quam Plautus et Naevius.“ et de sen. XIV, 50, ubi Cato sic loquitur: „Vidi etiam senem Livium, qui cum sex annis (38) ante, quam ego natus sum, fabulam docuisset, Centone Tuditanoque consulibus, usque ad adolescentiam meam processit aetate.“ Adde Gellii testimonium, quod legitur in noct. Att. XVII, 21, 42 seq. Annis deinde postea paulo pluribus quam viginti, cum Poenis pace facta, consulibus Claudio Centone, Appii Caeci filio et M. Sempronio Tuditauro primus omnium L. Livius poeta fabulas docere Romae coepit, post Sophoclis et Euripidis mortem annis plus fere centum et sexaginta, post Menandri annis circiter quinquaginta duobus.“ (39) Consentiant cum Ciceronis indicio fasti consulares, qui Claudii et Sempronii consulatum incidere in annum U. c. 514 ostendunt. Simul afferre juvat alia Ciceronis, quamquam non de Livio ipso, tamen cum illis de primae fabulae actae anno artissime conjuncta testimonia, quae si bene inter se conspirare cognitum fuerit, efficiunt, ut majorem etiam Ciceroni omni hac in re fidem tribuamus. Ex Ciceronis Cat. maj. V, 14 et ex Bruto XX, 78 liquet, mortuum esse Ennium septuaginta (40) annos natum

38) In libris est annos pro annis, de quo cf. Osannum p. 40. not. 1. et A. G. Gerhardtium ad Cic. Cat. maj. VI, 16. Porro nonnulli libri exhibent septem pro vulgato sex, neque id turbat rationem. Efficitur enim vel sic annus primae fabulae actae 514. p. U. c., si modo memineris, Romanos in designandis temporis intervallis interdum et terminum, a quo et terminum, ad quem profiscantur, rationi inferre. Osannus p. 50 reponendum censet in hoc Ciceronis loco „septem“, ita tamen, ut inde efficiatur annus U. c. 513, si anno U. c. 520 natum esse Catonem constat.

39) De hoc Gellii testimonio conferas Osannum p. 47. seq. et Düntzerum in lib. 1. p. 6. not. 11.

40) Hieronymus quidem p. 145 ad Olymp. CLIII, 1. di-

Q. Marcio Philippo iterum et Cn. Servilio Caepione consulibus, i. e. testantibus fastis consularibus anno U. c. 585. Ergo natus est Ennius anno U. c. 515, et prima Livii fabula acta anno U. c. 514. Porro natus est Cato (Cic. de sen. IV, 10.) anno ante primum Q. Fabii Maximi consulatum et (Cic. de sen. XIV, 50.) sex annis post primam fabulam a Livio editam. Atqui constat ex fastis consularibus, primum consulatum egisse Q. Fabium Maximum una cum M. Pomponio Mathone anno U. c. 521; ergo prima Livii fabula acta est anno U. c. 514, sive a Chr. n. 240.

Contra haec certissima Ciceronis et Gellii testimonia pugnant scriptores veteres, quorum multo minor his in rebus est auctoritas. Attii quantus fuerit error, et quomodo refutetur, post ea, quae Cicero optime ea de re disseruit l. 1., et quae Osannus p. 43—45 explicuit, non opus est pluribus demonstrare. Livius historicarum scriptor VII, 2. certum primae fabulae actae annum omnino non indicat, et miror, hoc in loco offendisse Köpkius lib. 1. Tom. I. p. XLIX, et Osannum, qui p. 48. sic scribit: „Nostro vero cum calculo, qua ratione locus Livii 7, 2, ubi Andronicus aliquot annis post C. Sulpicii Petici et C. Licinii Stolonis consulatum (anno U. c. 390) primam docuisse fabulam fertur, conciliari queat, nondum exputavi. Quum enim inter illorum et Centonis Tuditani que consulatus anni plus quam centum interjaceant,

cit: „Ennius poeta septuagenario major articulati morbo perit“, sed non nimis hoc est urgendum, ut ab Osanno p. 49. factum esse video. Saepissime enim Hieronymus labitur in annorum numeris referendis, neque hoc loco aperti erroris arguendus est. Quin septuagenario major Ennius vocari poterat, si vel paucis mensibus annum actatis septuagesimum superavit.

aliquot annis post ab Andronico primam fabulam editam esse, Livium historiarum scriptorem dicere potuisse veri simile vix videtur.“ (41) At minime Livius dicit, Andronicum aliquot annis post C. Sulpicii et C. Licinii consulatum primam fabulam egisse, sed cum mentionem faciat ludorum scenico- rum, his consulibus per ludiones ex Etruria accitos primum editorum, quibus deorum ira, ex duorum annorum continua peste cognita, placaretur, data occasione simul narrat, quomodo initia haec rudia temporis decursu exculpta fuerint, denique haec subjungit: „Accepta itaque res saepiusque usurpando excitata. vernaculis artificibus, quia hister Tusco verbo ludio vocabatur, nomen histrionibus inditum: qui non, sicut ante, Fescennino versu similem incompositum temere ac rudem altermis jaciebant; sed impletas modis saturas, descripto jam ad tibicinem cantu, motuque congruenti peragebant. Livius post aliquot annos, qui ab saturis ausus est primus argumento fabulam serere“ — etc. Nimirum jungendum est illud de Livio cum proxime antecedentibus, non cum iis, quae sunt in capitis initio. Non magis hic Titi Livii locus laborat ab alia quavis parte, ut Osannus in anal. crit. p. 49. censet, cui falso Livius C. Sulpicio Petico C. Licinium Stolonem in consulatu collegam tribuisse videtur, cum alii scriptores, a quorum partibus etiam fasti Romani stent, Licinium Calvum Petici collegam fuisse anno illo, exhibeant. Erat enim C. Licinio cognomen Calvi

41) Bothius quoque, cum in veterum scriptorum de Livio testimoniis lib. 1. p. 3. hocce Livii testimonium sic afferat: „Livius post aliquot (imo 123) annos (ab institutis Romae ludis scenicis a. U. c. 391. a Chr. n. 361) qui ab saturis“ etc., non bene ea interposuit, quae in parenthesi leguntur.

et agnomen Stolonis, ita ut eundem virum Livius histor. VII, 2. appellet C. Licinium Stolonem, omisso cognomine, et paulo post (VII, 9.) C. Licinium Calvum, non addito agnomine, cum ejusdem Sulpicii Petici iterum consulis Licinius iterum collega esset anno U. c. 393. (42) Sed pergamus in refellendis iis, qui non consentiunt cum Cicerone in anno primae fabulae editae constituendo. Et facile quidem intelligi potest, Cassiodorum falli in Chron. Tom. I. p. 357. col. 1. ed. Garet. Cum enim scribit: „C. Mamilio et Q. Valerio. His consulibus ludis Romanis primum tragodia et comoedia a L. Livio ad scenam data.“ nulla ejus vel ideo apud nos est auctoritas, quia; qua de re minime ambigitur, in ea vitium commisit. Nam Centone Tuditanoque consulibus primam actam esse fabulam, omnes veteres scriptores consensu testantur. Restat Hieronymi testimonium, qui in Eusebii Chron. p. 144. Livium narrat Olymp. CXLIX, 1- floruisse, vel, quod idem est, anno U. c. 570, quo anno Cicerone (in Bruto XV, 60) mortuus est Plautus. Hujus errorem, quum pinguior sit quam vel Attii lapsus, non est, quod pluribus refellamus. (43)

Sed ne recentioribus quidem temporibus non fuerunt, qui prorsus falsa proferrent. Sic Dujatius ad Livium hist. VII, 2 Andronicum dicit ad Lucilianarum satirarum indolem tragoedias suas composuisse. (44) Alii, ut Ciceronis et Attii rationes quodammodo conjungerent, primam fabulam actam esse suspicabantur Sempronio Tuditano, Cornelio

42) Cf. fastos consulares ex recensione Almelovenii.

43) De gravissimo hoc Hieronymi errore cf. Osann. in anal. crit. p. 41 et 45.

44) Cf. Drackenborchium ad Livii 1. 1. et Osannum in anal. crit. p. 45 s. fin.

Cethego consulibus, i. e. anno U. c. 550, (45) non ut Osannus p. 46. scribit, anno U. c. 546. Nunc autem viri docti nisi in annos U. c. 512, 513 et 514 non discedunt. Anno 512 primam fabulam editam esse Köpkius putat lib. I. p. XLIX et L; et Funccium, qui in tractatu de adolesc. ling. lat. p. 59. annum 513 exhibet, secutus est Osannus, (46) huic rei investigandae tertium caput analectorum suorum impendens, qua quidem in commentatione tam quae probanda, quam quae minus vera mihi videbantur, breviter jam quasi praeteriens, ubi res ferebat, indicavi. Ipsa autem Osanni sententia nititur sola (47) Wetzlii auctoritate, qui in not. ad Cic. Cat. maj. V. ei visus est evicisse, natum fuisse Ennium C. Mamilius et Valerius coss. anno U. c. 514 (cf. Osann. anal. crit. p. 49.) Hinc p. 50 sine ullius libri auctoritate jubet legi in Cic. Brut. XVIII, 72: „Atque hic Livius, qui primus fabulam C. Claudio Caeci filio et M. Tuditano consulibus docuit, anno ipso antequam natus est Ennius, post Romam conditam autem tertio decimo et quingentesimo, ut hic ait, quem nos sequi-

---

45) Conveniunt in hunc annum fasti consulares et Cic. Brut. XV. 60: „At hic Cethegus consul cum P. Tuditano fuit bello Punico secundo. Quae estque his consulibus M. Cato, modo plane annis CXL ante me consulens.“ Et fuit Cicero consul anno U. c. 691. Ceterum de iis, qui hanc sententiam amplexi sunt cf. Osann. p. 46.

46) Cum hoc faciunt Casp. Jac. Christ. Reuvensius in collectaneis literariis ed. Lugduni Batavor. 1815. p. 26. seq. Langius in lib. I. p. 20. Weichertus in lib. I. p. 48. denique Düntzerus in lib. I. p. 5. not. 11. Cf. etiam Osannum in recens. libri a Düntzero editi p. 958 et 962.

47) Nam Gellius XVII, 21, quem ejusdem rei testem laudat, solos consules Mamilium et Valerium nominat, non addito hujus consulatus anno. Cf. not. 43. At minime id hoc loco quaeritur, quibus consulibus, sed potius quo anno natus fuerit Ennius; de consulibus enim dubitari non licet.

mur“, cum in omnibus libris legatur summa constantia: „quarto decimo et quingentesimo.“ (48) Sed minime probanda est haec emendatio. Omnium enim illa annorum discrepantia inde orta esse videtur, quod non satis constat annus Romae conditae, ita ut uni anno a. Chr. n. ducesimo quadagesimo respondeant anni p. U. c. tres: 512, 513 et 514, prouti aut aeram alterutram sive Catonis sive Varronis aut eos sequimur, qui hac quoque in re servandam esse censent auream mediocritatem. Et Cicero quidem, ut omnibus in annis constituendis, ita hoc etiam loco secutus est Varronis, amicissimi sui, rationem, et natum esse Ennium dixit anno U. c. 515, quem eundem annum a. Chr. n. Wetzlius etiam in mente habuisse videtur, licet anno U. c. 514 natum fuisse Ennium docuerit. Itaque inde, quod Osannus, qui semper Varronianam aeram secutus est, sua cum ratione conjunxit calculum Wetzlii, qui anno 753 a. Chr. n. Romam conditam esse statuere videtur, falsum efficitur primae fabulae actae annus ab U. c. 513, falsum dico omnibus iis, qui Varronis rationem sequuntur, quippe quibus annus hic respondeat anno a. Chr. n. 241. At consules fuerunt Cento et

---

48) Düntzerus in lib. I. p. 5. not. 11. sine dubio legendum putat decimo et quingentesimo, quia Atticus, quem Cicero secutus sit, quatuor annos a Varroniana, tres ab ea ratione, quam in fastis Capitolinis inveniamus, recedat, et hanc conjecturam lectione Juntinae et Cratandrinae editionis „quadringentesimo decimo“, quae Lambiniana, quae CCCCX exhibeat, conveniat, quam maxime adjuvari dicit. Nihil tamen minus plurimorum librorum lectionem retinuerim; agitur enim hic de demonstrando et removendo vitio, quod Atticus in ratiocinatione commiserat, ita ut in anno constituendo diligentissimus Cicero putandus sit fuisse, et quomodo annus U. c. 514 bene congruat cum aliis Ciceronis testimoniis, supra jam vidimus.

Tuditanus anno a. Chr. n. 240, ut ex fastis consularibus apparet. Nostris temporibus, quum inter doctos viros convenerit, probabiliorē esse Varro- nis calculum, fere docetur, Livium primam fabulam egisse anno U. c. 514, neque soli, qui ab Osanno p. 46. afferuntur, viri docti hac in re consentiunt, sed alii complures, quorum nomina locosque hic adscribere longum est. Videamus potius, cujusnam generis fuerit prima illa fabula, qua de re Osannus in eodem analectorum capite tertio p. 50—52 ita disserit, ut Livium comoediam prius quam tragoediam egisse praecipiat. (49) Sed minime ei assentior dicenti p. 51, inde, quod ante aetatem Livianam Romani delectati fuerint carminibus joco et hilaritate refertis convivalibus et Atellanis, colligi posse, „comoediam prius, quam Romanorum animi ad delicias tragoediae frundas accommodati essent, agendam fuisse, ut etiam ex tragoediarum actionibus voluptatem capere paulatim addiscerent.“ Haec enim causa nulla est, veluti tragoediis delectari non possit, nisi qui ante comoedias jam spectavit. At veterum testimonia adjecit Osannus; advocavit Diomedem III p. 486. ed. Putsch., Rabanum Maurum de arte grammat. II, p. 46. b. Tom. I. ed. ej. Op. Colon. Agrip. 1626, scholiastam Cruquii ad Horat. Epist. II, 1, 69. et Cassiodori Chronicon Tom. I. p. 357. ed. Garet., et hanc suam sententiam iterum confirmat in recens. lib. a Düntz. ed. p. 963. Id ipsum maxime miror, nam grammatici illi, solo excepto Cassiodoro, locis allatis non agunt de fabula prima, quae olim Romae edita sit, sed in universum de primo latinarum comoediarum poëta. Diomedes l. I. disserens de tribus, quae fuerint apud Graecos,

comoediae aetatibus, haec habet: „Tertia aetas fuit Menandri et Philemonis, qui omnem acerbitatem comoediae mitigaverunt, atque multiplicia argumenta Graecis auctoribus seculi suut. Ab his Romani fabulas transtulerunt, et constat apud illos primo latino sermone comoediam Livium Andronicum scripsisse;“ et eandem fere sententiam verbis modo aliis expresserunt Rabanus Maurus et scholiastes Cruquii II. II., Cassiodorus autem l. I. C. Mamilio et Q. Valerio consulibus primum tragoediam et comoediam ad scenam datam esse dicit; unde si quid tribuere volumus huic testimonio, sane probabile fit, primam a Livio Romae editam fabulam fuisse tragoediam potius, quam comoediam, quod etiam placuit Jacobsio in Additam. ad Sulzeri Theor. L. A. Tom. I. p. 6. aliisque. Sed praestat, cum Langio (in lib. I. p. 21. not.) Baehrio (in hist. literar. Roman. p. 42) et Düntzero (in lib. I. p. 9. seq.) rem incertam atque dubiam relinquere, quum praesertim bene jam Reuvensius in lib. I. sect. II. §. 4. annotaverit, veteres scriptores, ut Ciceronem Titumque Livium et Gellium „refugere quasi omnes vel tragoediae vel comoediae nomen proprium“ videri, ob inscientiam opinor; dixisset enim unus vel alter, si cognita res fuisset, quae sane digna erat, quam et ipsi illi cognoscerent, et posteris traderent.

Reliquum est, ut verbo dicamus de prima fabula, quorum cura atque praesidio, et quibus festis acta esse videatur. Osannus praetorem Urbis primam fabulam edendam curasse probabiliter demonstrat p. 56. seq. contra Planckium, qui in libro de Ennii Medea (edito Gottingae 1807.) p. 60. aedilium curulium cura et tutela Livium Andronicum fabulas suas docuisse, annotat. Nam teste Livio hist. XXIV, 43 ludi scenici ab aedilibus curulibus primum anno U. c. 541. facti sunt, Q. Fabio Maximo et Tib. Sempronio Graccho

49) Cf. G. E. Müllerum in lib. I. p. 216. Is comoediam anno U. c. 514 a Livio actam esse, tanquam rem certam ponit, sed argumentum ne unum quidem affert.

coss.; ante hoc tempus cura haec praetori tradita erat, eique post annum U. c. 541 etiam mansit, quoties aediles curules casu quodam vel officio graviore, quominus ludis celebrandis interessent, prohibebantur.

Quibus festis acta sit prima fabula, certius evinci posse videtur, quam Osannus putavit, licet ea de re duo in promptu sint veterum scriptorum testimonia sibi repugnantia, alterum Attii in loco illo, quem ex Ciceronis Bruto supra allatum fusions examinavimus, alterum Cassiodori in Chron. Tom. 1, p. 357, quorum hic ludis Romanis primam editam esse fabulam tradit, ille idem refert de ludis Inventatis. (50) Osannus quidem in anal. crit. p. 57—59, causam nullam afferens, Attii narrationem veram esse suspicatur, et quamquam ipse opinionem hanc non ita probatam sibi esse dicit, ut, si quis Cassiodori testimonium praeferat, ei magnopere repugnet, tamen invenit, qui nimis credulam ipsi praebuit aurem, Bothium. (51) Nam teste Livio hist. XXXVI. 36 aedem Juventatis vocit M. Livius Salinator consul proelio Senensi, commisso anno a. Chr. n. 207, (52) post primam Romae editam fabulam tricesimo tertio, eamque aedem demum sexdecim annis post (i. e. anno a. Chr. n. 191.) C. Licinius Lucullus duumvir in circo maximo dedicavit (53) cum ludis, quos postea fa-

50) Funceius in lib. 1 p. 61. not. a. in Ciceronis 1. 1. habet: „ludis luclatiis, quos Salinator“ etc., sed vera lectio sine dubio est „ludis Juventatis.“

51) Cf. ejus lib. 1, ubi in veterum scriptorum de Livio poeta testimoniiis p. 2. Cassiodori narrationem falsam esse dicit.

52) Hoc de certamine, quo Hasdrubalem exercitumque ejus cecidit Salinator, cf. Liv. hist. XXVII, 46 — 49.

53) Quamquam idem M. Liv. Salinator, qui consul vocerat, tribus jam annis post censor templum illud faciendum

ctos esse anniversarios, testis est Cicero in ep. ad Attic. 1, 18. Hinc cum Langio (in lib. 1. p. 22. not. 39.) et Düntzero (in lib. 1. p. 6. seq.) Cassiodorum auctorem sequamur, et Andronicum fabulam suam docuisse credamus ludis Romanis, quos a pridie Nonas ad pridie Idus Septembres in honorem Jovis, Junonis et Minervae quotannis celebratos esse, satis notum est. Et libenter Osannus etiam, veterem illam opinionem suam deserens, hanc virorum doctorum sententiam comprobavit in recens. lib. a Düntz. ed. p. 962. fin.

Livium fabularum suarum ipsum actorem etiam fuisse constat, (54) et ab initio quidem solus totas eas agebat; postea, ubi saepius a populo revocatus vocem obtulerat, veniam pueri, qui ad fibicinis modos carmina cantaret, secum ducendi impetravit, quo melius ipse gestus agere posset. Narrat haec Livius hist. VII, 2: „Livius post aliquot annos, qui ab saturis ausus est primus argumento fabulam serere, (idem scilicet, id quod omnes tum erant, suorum carminum actor) dicitur, quum saepius revocatus vocem obtulisset, venia petita puerum ad canendum ante fibicinem quum statulisset, canticum egisse aliquanto magis vigenti motu, quia nihil vo-

---

locaverat anno a. Chr. n. 204. M. Cornelio Cethego P. Sempronio Tuditano coss.

54) Cf. Evanthii dissertationem de tragoedia et comedia, quae invenitur in Zenonii Terentio, ed. Lips. 1774. Ibi pag. XXIX. haec leguntur: „Latinae fabulae primo a Livio Andronico scriptae sunt, adeo ut ad has res etiam tum recentes idem et poeta et actor fabularum suarum fuisset.“ Eundem locum Osannus p. 2 ita affert: „Latinae fabulae primo a Livio Andronico scriptae sunt ad cunctas res, cum etiam tum recentius idem et poeta et actor fabularum suarum fuisset.“ et pro „scriptae sunt ad cunctas res“ Evanthium voluisse suspicatur „scriptae sunt ad cantores.“ Sed longe optima videtur lectio illa, quam exhibuit Zenonius 1. 1.

cis usus impediēbat. inde ad manum cantari histrionibus coeptum, diverbiaque tantum ipsorum voci relicta.“ et iisdem fere verbis Valerius Maximus II, 4: „ Paulatim deinde ludicra ars ad satirarum modos perrepsit; a quibus primus omnium poëta Livius ad fabularum argumenta spectantium oculos et animos transtulit. Isque sui operis actor, quum saepius a populo revocatus vocem obtulisset, adhibito pueri et tibicinis concentu, gesticulationem tacitus peregit.“ De utroque hoc loco copiose disputavit Schöllius in opere inscripto: „ Histoire abrégée de la littérature Romaine à Paris 1815. Tom. I. p. 108—114.“ Is postquam varias de explicando Livii loco duorum Franco-gallorum sententias attulit, Duclosio, alteri eorum assentitur, et ita rem explicat p. 113: „ On peut, ce nous semble, prendre les diverbia pour les paroles en général, quelles soient chantées ou simplement déclamées, en opposition de la partie de la pièce qui formant l'intermède, était nécessairement chantée, mais en même temps accompagnée de danse.“ et paulo post: „ Les intermèdes remplaçoient dans les comédies latines le chœur des Grecs qui y manquoit. (55) Livius Andronicus, dont on aimoit à voir la danse, aura obtenu la permission de ne plus chanter, pour n'être pas gêné dans ses mouvemens, et cette dispense, qui étoit un véritable perfectionnement de l'art, aura passé à ses successeurs.“ Sed non usque quaque probata mihi est haec explicatio; nam diver-

55) In comœdiis choro usos esse poëtas Romanos, quum novae comœdiae graecae auctores imitati sint, probabile non videtur; contra in tragoediis latinis chororum nonnunquam invenimus. Cf. Langium in lib. I. p. 48. seq. An vero Livius jam chorum habuerit in tragoediis suis, certo evinci vix potest. Cf. Düntz. in lib. I. p. 7.

bia sunt, ut inter omnes constat, quaecunque duo vel plures inter se colloquuntur actores, canticum vero appellatur, quidquid solus quis ad tibicinis adstantis sonos pronuntiat. Jam si Andronici fabulas ex T. Livii loco cognoscimus populo admodum placuisse, ita ut repetere eas vel totas vel ex parte saepius cogeretur, admodum probabile est, tandem ei exhaustum esse spiritum ad verba bene pronuntianda, quippe qui fere senex ad primam Romae fabulam docendam accesserit; itaque puer ei dabatur, qui, dum ipse gesticulationem tacitus et aliquanto magis vigenti motu peragebat, carmina recitaret, (56) quod ad manum cantare appellabatur. Utrum vero haec gesticulatio solarum manuum fuerit, an pedum etiam totiusque corporis ad modum saltationis, id ab hoc loco alienum est diligentius inquirere. Düntzero in lib. I. p. 8. tota haec T. Livii et Valerii Maximi narratio nihil nisi fabula esse videtur ad originem illius moris ad manum cantandi, quem Romani sine dubio a Graecis mutuati sint, explicandum inventa. Pergit l. l. ita: „ Neque optime hanc fabulam invenerunt, quum ea hoc quidem intelligamus, cur Livius, qui primas in iis, quas docuit, fabulis partes obtinuit, hac venia usus sit, minime autem, cur ceteri quoque histriones eam sibi sumpserint, et,

56) Cicero de leg. II, 15, 39. modos Livianos et Naevianos laudat ob jucundam, quae iis fuerit, severitatem, et quum modi ab alio quodam facti et Livii fabulis inserti vix appellari possint Liviani, ipsam Livium carminum suorum modos etiam fecisse crediderim. Caeterum perfectioris jam et magis excultae artis esse puto, si non ipsi poëtae carminum suorum modos condunt, sed ab aliis artis musicae peritoribus faciendos eos curant, quod quidem apud Romanos factum esse, sed, ut videtur, demum tempore posteriore, testis est Cicero de orat. III, 26, 102. Cf. etiam Düntzerum in lib. I. p. 8.

quomodo factum sit, ut id, quod populus egregio histrioni concesserat, postea moris locum obtinuerit." At bene eum refellit Osannus in recensione p. 963, advocans Hermannum de cantico in Rom. fabulis scenicis p. XII. Mam revera nihil, quod credi non possit, inest in narratione illa de moris hujus origine, et sine dubio certa causa opus erat, qua usus hic, ipsi actionis naturae plane repugnans, Romanis commendaretur. At facile intelligitur, quomodo res semel usurpata moris loco habita sit, quum praesertim eo histrionibus actio multum levaretur, simulque ars mimica melius posset excoli.

De externo theatri, quo Livius usus fuerit, apparatu optime Düntzerus in lib. I. p. 8. seq. disputavit contra Signorellium et Grysarium, quorum hic (57) eum fabulas suas docuisse suspicatus erat in theatro exstructo cum sedilibus, omnique eo apparatu, quem postea in theatris mansuris invenimus, ille (58) ad fabulas agendas eum usum esse dixerat porticu templi Mineravae; uterque perperam; nam usque ad Pompejum omnia theatra Romanae non nisi ad ludorum tempus exstruebantur, quin etiam antiquissimis temporibus, qui sedere volebant, ipsi subsellia sibi apportabant. Signorellius autem loco Festi in v. scribas p. 491. Dacer. deceptus esse videtur, unde tamen hoc tantum discimus, licuisse scribis et histrionibus in templo Mineravae consistere ac dona ponere in honorem Livii.

Quo anno vita excesserit Andronicus, nescimus, et in tanta rerum obscuritate gratum est vel leve

57) In dissertatione doctissima ephemeridibus scholasticis (Allgm. Schulzeitung) anni 1832 inserta p. 334.

58) In libro inserto: Storia critica de' teatri antichi et moderni. Tom. II. p. 19.

illud Ciceronis indicium, qui (de sen. XIV, 50.) Catonem sic facit loquentem: „Vidi etiam senem Livium: qui cum sex annis ante, quam ego natus sum, fabulam docuisset, Centone Tuditanoque consulibus, usque ad adolescentiam meam processit aetate.“ Quo cum indicio fere conciliari posse videtur alterum hoc Livii hist. XXVII, 37., unde cognoscere licet, anno a. Chr. n. 207, C. Claudio Nerone, M. Livio Salinatore iterum coss., Andronicum adhuc vixisse. (59) Hoc enim anno ad prodigium foedum ac turpe expiandum pontifices decreverunt, utter novem virgines, per Urbem euntes carmen cantarent; idque ab Andronico conditum esse, T. Livius l. I. narrat. (60) Erat autem tum Cato, agens annum vicesimum septimum, in ipso aetatis flore.

59) Itaque Andronicus ad summam senectutem pervenit, et annum aetatis octogesimum multo superasse videtur. Osannus in anal. crit. p. 28. adolescentiae tempus apud Romanos trigesimum usque ad annum obtinuisse ponens, ex illo Ciceronis loco Livium non superasse annum U. c. 540 suspicatur, qua de re cf. Düntzerum in lib. I. p. 17.; Müllerus vero (in lib. I. p. 224 et 239.) mortuum esse Livium Andronicum anno U. c. 534, inde probabiliter colligi posse putat, quod ab hoc anno inceperit Catonis adolescentia.

60) Sunt, qui censeant (et inter eos Dunlop, Hist. of Rom. Litt. I. p. 63.) licet anno a. Chr. n. 207 virgines decantaverint carmen, a Livio factum, tamen non esse necessarium, inde conicere, ipso hoc anno conditum etiam id carmen esse, quod fortasse jam diu ante Livius composuerit. At Festus in v. scribas p. 491. Dacer. diserte dicit, Livium Andronicum scripsisse carmen, quod a virginibus sit cantatum, bello Punico secundo, gesto per septemdecim annos inde ab anno a. Chr. n. 218; et juvat conferre T. Livium hist. XXXI, 12, ubi haec leguntur: „Carmen sicut patrum memoria Livius, ita tum condidit P. Licinius Tegula.“ Hinc recte Regel (in lib. I. p. 36. not. 16.) Düntzerus (in lib. I. p. 16) et Osannus (in recens. lib. a Düntz. ed. p. 965) statuere videntur, eodem anno, quo decantatum fuerit, factum etiam id carmen esse ab Andronico.

Post hunc nostrum Andronicum alii ejusdem nominis viri Romae exstitisse feruntur. Sic M. Pompilium Andronicum, natione Syrum, grammaticam Romae docuisse, Suetonius refert in libro de illustribus grammaticis cap. 8, et poëtam quoque Andronicum Iuliani Caesaris temporibus vixisse Ammianus Marcellinus scribit. —

---